



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Decretalem Honorii Tertii, quoad ejus fieri potest, renovari, aequum esse.

7

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

(Clericos enim illos convenit Ecclesiasticis stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla bona suffragantur;) quo insuper Professoribus, atque his qui in bonis literis, optimis quibusque disciplinis, ac in primis Theologiæ studiis, multum profecissent, spes præmii fieret: nam spes alit artes.

CAP. VI. *Pium votum ad studia sublevanda.*

Concil.
Basil.

ET, quanquam hic articulus à summo Pontifice potissimum pendere videatur, tamen, quod in Nobis est, cuperemus, omnes ordinarios collatores, præsertim Parochialium Ecclesiarum, huc induci posse, ut Academia potestatem faceret, significandi subinde ipsis viros literatos, ad regendum Ecclesias ejuscemodi idoneos, quos ipsi collatores quibuscunque aliis non idoneis præferrent, ac Parochiis, quum vacarent, præficere non differrent, modo tamen personaliter residere non detrectarent. Quod si idem apud Collegiatis Ecclesias (qui mensè ordinario Canonicatus & Præbendas conferunt) obtineri possit, non dubium, id plerisque ad studia capessenda calcar fore non exiguum.

CAP. VII. *Decretalem Honorii Tertii, quoad ejus fieri potest, renovari æquum esse.*

et super
specul. de
Magist.

PRÆTEREA non parum huc fecerit, si Honorii Tertii Decretalis servetur, nempe ut Canonici Ecclesiarum Diocesis Nostræ Coloniensis dociles, ad studia, potissimum Theologiæ, per Capitula transmittantur, percepturi toto quinquennio Beneficiorum suorum fructus, non obstante aliqua contraria consuetudine vel statuto; quum denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes; de quo dictum est partim superius. Ex his enim tandem spes non vana concipi possit, aliquando futurum, ut doctorum copia habeatur, quò veluti stellæ valerent plurimos ad justitiam erudire, & temporis successu Ecclesiam Dei univèrsalem in vita ac doctrina reformare.

CAP. VIII. *Quid curandum in Academiis.*

NEQUE ignoramus, multa ac diligenti provisione opus esse in Academiis; qua imprimis curare necesse erit, ut optimi quique libri in singulis professionibus ac disciplinis per doctissimos Professores statis diebus ac horis vigilantissime prælegantur, enarrenturque: deinde, ut Scholasticis vivendi regulæ præscribantur; nempe ut bonis disciplinis vacent, à pompis, comessationibus, ebrietatibus, aleæ ludis, dissensionibus ac rixis, abstinant; ut prodigi esse desinant, ac quisque se suo modulo metiatur, & factum omnem ac doctrinæ supercilium deponat; nec incipiant esse Magistri, priusquam fiant discipuli. Quot enim sunt, qui Magistrorum ac Doctorum insignia ambiunt, & per ambitum extorquent, etiam qui nunquam eam artem, quam post magisterium profitentur, vel à limine salutarunt? quod quam turpe ac indecorum sit, nemo ignorat.

Hieron.

CAP. IX. *Nihil imprimendum aut vendendum, nisi revisum prius.*

PRÆTEREA, quum, per abusum artis impressoriæ, librorum plurimum malorum emerferit; prohibemus, ne ulli Typographi aut Bibliopolæ, quempiam recens editum librum aut chartam vel imprimant vel venum exponant vel vendant publice vel occulte, nisi hic liber revisus, & charta, vel scripturam vel picturam continens, per Nostros ad hoc deputatos commissarios diligenter perspecta sit prius. quæ & Typographi nomen & cognomen complectantur, atque eam Civitatem seu oppidum, in quibus excusa sunt, nominatim designent; quæ verò his caruerint, nullo pacto venum exponantur. Porro Typographi, Bibliopolæ, ac reliqui librorum intitores ac geruli, qui huic ordinationi contravenerint, præter confiscationem librorum, poenis etiam legalibus ac Pragmaticæ constitutioni Augustanæ subjacebunt. Contra quos in territoriis Nostri Fiscalis Noster acerrime inquirere, ac ad justarum poenarum declarationem procedere non omittet.

Pragm.
August.

PARS DECIMA TERTIA.

CAP. I. *De Iurisdictione Ecclesiastica contentiosa.*

ANTE annos non admodum multos, Reformationem Iurisdictionis Nostræ Ecclesiasticæ edicavimus; per quam ita temperata ac moderata omnia speramus, ut nemo de ea jure queri possit.

CAP. II. *Excommunicationis origo & præcipuus usus.*

NE autem quispiam Excommunicationis Ecclesiasticæ originem ignoret, primus Excommunicationis in Ecclesia usus, qualis fuerit, Paulus primæ ad Corinthios quinto manifeste ostendit; ubi Corinthium, publice cum noverca fornicantem, tradit Satanæ